

tantum habuisse maritum Joachimum, et ex eo unicum prolem B. Virginem, docet S. Hippolytus apud Nicephorum, lib. II, cap. III, idque multis probat noster Christophorus a Castro, lib. *De Deipara*, cap. I; et Baronius in *Apparatu*, cap. XLVI et seq.; et Suarez, lib. part., *Quest.* XXVIII, art. I, disp. 3, sect. 4.

Dico ergo hos proprie non fuisse fratres Christi, nec ex B. Virgine, vel Josepho, aut S. Anna esse progenitos, sed dici fratres, id est consobrinos, patruales et cognatos Christi, phrasi Hebraeis familiari: nimirum erant hi cognati, aut vere fratres S. Joachimi, vel S. Annæ, aut potius erant filii fratrum, vel sororum S. Joachimi, vel S. Annæ, puta filii Cleophae, qui erat frater Josephi, sponsi B. Virginis, teste Hegesippo, qui fuit vicinus Apostolorum ævo, apud Eusebium, lib. III *Histor.*, cap. XI. Joseph enim et Cleophas fuerunt filii Jacob, qui erat frater S. Annæ, de quo plura, cap. XIII, vers. 55, et *Luce* III, sub finem. Audi S. Hieronymum hic: « Nos, ait, sicut in libro quem contra Helvidium scripsimus continetur, fratres Domini, non filios Joseph, sed consobrinos Salvatoris, Mariæ liberos intelligimus, matertera Domini, quæ esse dicitur mater Jacobi et Josephi et Judæ. » Idem asserunt Isidorus, lib. *De Vita et Morte SS. Patrum*; Beda, super cap. I *Act.*; et Anselmus, I *Corint.* IX, et *Gal.* I.

STABANT FORIS. — Miserunt ergo nuntium ad Christum in domum, qui eum evocaret.

QUERENTES LOQUI EI, — non ex ambitione et fastu, ut viderentur esse consanguinei tanti doctoris et prophetae, qualis erat Christus, ut voluit S. Chrysostomus et Theophylactus, sed ut eum comprehenderent secumque abducerent in Nazareth. Dicebant enim eum in furorem versum esse, ut ait Marcus, III, 21; « Neque enim fratres ejus credebant in eum, » *Joan.* VII, 3 (licet postea plures ex eis crederint Christo); sive hoc dixerint, quod vere ferere putarent, sive fide et simulate, ut eum e manibus Phariseorum, ne ab eis opprimeretur, eriperent; hæc enim vel simili de causa B. Virginem evocasse Christum, nemo pius dubitet. Si voluerunt eum comprehendere quasi furiosum, celarunt hoc summi consilium B. Virginem, illamque adduxerunt secum specie honoris, ut facilius et secretius Christum evocarent, secumque abducerent. Certum enim est B. Virginem optime scivisse Christum esse sanæ sancteque mentis; quare non nisi ejus visendi studio comitatum fuisse hosce Christi fratres, id est cognatos, Christum Dominum imitata est S. Paula, quæ, ut scribit S. Hieronymus in ejus *Epitaphio*: « Cum pro nimio fervore virtutum quibusdam videretur insana, et cerebrum illius dicerent confovendum, respondit: Theatrum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus. Et nos stulti propter Christum; sed stultum Dei sapientius est hominibus. Unde et Salvator loquitur ad Petrum: Tu seis insipientiam meam. Et iterum: Tanquam

prodigium factus sum multis, et tu adjutor fortis: ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. Quem in Evangelio et propinquo quasi memum impotem ligare cupiebant, et adversarii sugillabant, dicentes: Dæmonium habet, et Samaritanus est. Et: In Beelzebub principe dæmoniorum ejiicit dæmonia. »

47. DIXIT AUTEM EI QUIDAM: ECCE MATER TUA ET FRATRES TUI FORIS STANT QUERENTES TE. — Hoc est, *querentes tibi loqui*, ut habet Græcus et Syrus: « quidam, » hic fuit nuntius a fratribus ad Christum evocandum missus.

48. AT IPSE DICENTI SIBI AIT: QUÆ EST MATER MEA, ET QUI SUNT FRATRES MEI? — Nota Christum ita loqui, non quasi neget se veram habere matrem, quasi Christus non fuerit verus homo, sed phantasticus, sive phantasma ex phantasmate natus, uti docuit Marcion et Manichei; nec etiam quasi eum suæ matris et fratrum pauperum puderet; sed vel quia nuntius hic nimis audacter et importune eam a prædicatione jam inchoata avocando, interpellabat, uti vult S. Chrysostomus et Epiphanius, vel potius, « ut paternis, ait S. Ambrosius, se ministeriis (sic legendum videtur, non mysteriis) amplius, quam maternis affectibus debere ostenderet, » et spirituale cognationem carnali præferret, in qua non est sexus, non ordo, sed omnes proxime et omnimode contingunt Christum quasi pater, soror et frater. Hoc enim est, quod de Christo subjicit Matthæus.

49. ET EXTENDENS MANUM IN DISCIPULOS (MARCUS) indicans notansque discipulos. Unde Arabicus: *Et annuit manu sua versus discipulos* SUOS DIXIT: ECCE MATER MEA ET FRATRES MEI.

50. QUICUNQUE ENIM FECERIT VOLUNTATEM PATRIS MEI, QUI IN CÆLIS EST, IPSE MEUS FRATER, ET SOROR ET MATER EST, — spiritualis, uti jam dixi, non carnalis. Dicit « frater et soror » propter utrumque sexum: fideles enim viri sunt fratres Christi, femine vero fideles sunt sorores Christi, ut docet S. Gregorius. Fidelis ergo Deo obediens, est Christi frater adoptivus, quia per gratiam est filius ejusdem Dei Patris. Idem est mater Christi, quia Christum in se et aliis docendo, hortando, consulendo parit. Ita S. Gregorius, Beda, Euthymius. Audi S. Gregorium, homil. 3 in *Evang.*: « Sed sciendum nobis est, quia qui Christi frater et soror est credendo, mater efficitur prædicando. Quasi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit. Et mater ejus efficitur, si per ejus vocem amor Domini in proximi mente generatur. » Subjicit exemplum S. Felicitatis, quæ septem filios, quos carne pepererat mundo, Spiritu parturit Deo, dum eos in persecutione roboravit et ad martyrium animavit. Et S. Augustinus, *De S. Virginitate*, cap. III: « Mater ejus (Christi) est omnis anima pia, inquit, faciens voluntatem Patris ejus, fecundissima charitate in iis quos parturit, donec in eis ipse formetur. Maria ergo

faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi tantummodo mater est, spiritualiter autem et soror et mater. Ac per hoc illa una femina non solum spiritu, verum etiam corpore et mater est et virgo. » Causam subdit: « Sed plane mater membrum ejus, quod nos sumus, quia cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius capitis membra sunt: corpore vero mater ipsius capitis. » Hoc Christi oraculum se-

cuta S. Victoria virgo et martyr sub Diocletiano S. Victoris Imperatore, cum proconsul eam interrogaret: « Vis ire cum Fortunatiano fratre tuo? » (qui Gentilis erat), respondit: « Nolo, quia christiana sum, et illi sunt fratres mei, qui Dei præcepta custodiunt. » Quocirca carceri cum aliis martyribus inclusa, ibique fame enecta martyrii lauream obtinuit. Ita habent Acta ejus apud Surium, die 11 *februarii*.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Christus Evangelium ejusque vim, fructum et impedimenta explicat per varias parabolas: Primo, seminis et seminantis, vers. 3. Secundo, zizaniorum, vers. 24. Tertio, grani snapis, vers. 31. Quarto, fermenti, vers. 33. Quinto, thesauri absconditi, margaritæ pretiosæ et sagæ misse in mare, vers. 43.

1. In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare. 2. Et congregatae sunt ad eum turbae multæ, ita ut in naviculam ascendens sederet; et omnis turba stabat in littore. 3. Et locutus est eis multa in parabolis, dicens: Ecce exiit qui seminat, seminare. 4. Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, et venerunt volucres cæli, et comederunt ea. 5. Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram nullam; et continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ. 6. Sole autem orto assuaverunt; et quia non habebant radicem, aruerunt. 7. Alia autem ceciderunt in spinas; et creverunt spinæ, et suffocaverunt ea. 8. Alia autem ceciderunt in terram bonam; et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimalum. 9. Qui habet aures audiendi, audiat. 10. Et accedentes discipuli, dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis? 11. Qui respondens, ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, illis autem non est datum. 12. Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit; qui autem non habet, et quod habet, auferetur ab eo. 13. Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt. 14. Et adimpletur in eis propheta Isaiæ dicentis: Auditus audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non videbitis. 15. Increassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clausurunt, ne quando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos. 16. Vestri autem beati oculi, quia vident; et aures vestræ, quia audiunt. 17. Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetae et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt. 18. Vos ergo audite parabolam seminantis. 19. Omnis qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus, et rapit quod seminat, est in corde ejus: hic est qui secus viam seminatus est. 20. Qui autem super petrosam seminatus est, hic est qui verbum audit, et continuo cum gaudio accipit illud: 21. non habet autem in se radicem, sed est temporalis; facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizatur. 22. Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum audit, et sollicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum suffocant verbum, et sine fructu efficitur. 23. Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum, et intelligit, et fructum affert, et facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimalum. 24. Aliam parabolam proposuit illis, dicens:

Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. 25. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et supereminavit zizania in medio tritici, et abiit. 26. Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. 27. Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? 28. Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus, et colligimus ea? 29. Et ait: Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum. 30. Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum. 31. Aliam parabolam proposuit eis, dicens: Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo: 32. quod minimum quidem est omnibus seminibus; cum autem creverit, mafus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, et habitent in ramis ejus. 33. Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina: satis tribus, donec fermentatum est totum. 34. Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis: 35. ut impletur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, et erucabo abscondita a constitutione mundi. 36. Tunc dimissis turbis, venit in domum; et accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Edisserere nobis parabolam zizaniorum agri. 37. Qui respondens ait illis: Qui seminavit bonum semen, est Filius hominis. 38. Ager autem, est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regni. Zizania autem, filii sunt nequam. 39. Inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus. Messis vero, consummatio sæculi est. Messores autem, Angeli sunt. 40. Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburantur: sic erit in consummatione sæculi. 41. Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem; 42. et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus et stridor dentium. 43. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat. 44. Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum. 45. Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quaerenti bonas margaritas. 46. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam. 47. Iterum simile est regnum cœlorum sagena missa in mare, et ex omni genere piscium congreganti. 48. Quam, cum impleta esset, educentes, et secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. 49. Sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum, 50. et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus et stridor dentium. 51. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. 52. Ait illis: Ideo omnis Scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera. 53. Et factum est, cum consummasset Jesus parabolam istas, transit inde. 54. Et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur, et dicerent: Unde huic sapientia hæc, et virtutes? 55. Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus, Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas? 56. et sorores ejus, nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista? 57. Et scandalizabantur in eo. Jesus autem dixit eis: Non est Propheta sine honore, nisi in patria et in domo sua. 58. Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.

Vers. 1. 1. IN ILLO DIE EXIENS JESUS DE DOMO, SEDEBAT
Mar. IV. SECUS MARE. — SYTUS: Super litus maris. Christus
cum de more in domo, id est in hospitio, quod

pro habitatione et predicatione Capharnai con-
duxerat, ut dixi cap. IV, 13, predicasset, dimisit
turbas ut se suaque curarent, utque se et disci-

pulos quiete et cibo reficeret; mox cum sciret turbas, quæ ab ore ejus pendebant, utpote celestis ejus doctrina et spiritu inescafis, majore numero affluxuras, ut domus eas non caperet, domo egressus est ad litus capacissimum vicini maris Galilææ, ibique per parabolam sequentes prædicavit.

Vers. 2. 2. ET CONGREGATE SUNT AD EUM TURBÆ MULTÆ,
Luc. VIII. ITA UT IN NAVICULAM ASCENDENS SEDERET, ET OMNIS
4; Mar. TURBA STABAT IN LITTORE. — Ob copiam turbæ
2, 1. Christus e littore ascendit in navim, ex eaque
quasi e suggestu concionatus est ad turbam in-
numeram circumfluentem et litus maris occu-
pantem.

ET LOCUTUS EST EIS MULTA IN PARABOLIS, — id est per parabolam more illius gentis et ævi, ut dixi Can. 26 et seq.; q. d. Locutus est eis parabolice, id est figurate et obscure (1).

Vers. 3. 3. DICENS: ECCE EXIIT QUI SEMINAT, SEMI-
Luc. VIII. NARE, — ad seminandum. Arabicus, ut seminaret;
5; Mar. Græcè, ὁ ἐκείνου, id est seminans, sive seminator.
IV, 2, 3. Nota: apposite doctrina et prædicatio Evangelica
comparatur semini, et ex eo procedunt messi: quia sicut ad messem corporalem opus est semine, terra, sole, pluvius et ventis, sic etiam similibus opus est ad messem Evangelicam et spiritualem: semen enim est verbum Dei, sive Evangelium ejusque prædicatio; terra est liberum cujusque audientis arbitrium; sol est gratia præveniens, illuminans et inflammans liberum arbitrium, ut verbum Dei excipiat, digerat, indeque fructus charitatis et virtutum omnium producat; pluvia est gratia rigans, conservans et promovens hosce bonos arbitrii actus et motus; venti sunt tentationes, qui illos agitando magis radiant et roborant; denique opus est patientia, obediuntibus arandi, seminandi, occandi, sarriendi, etc., ac longanimi messis, id est fructus et præmii expectatione.

Adverte: finis et scopus, adcoque summa hujus parabolæ est, ut doceat Christus se esse seminatore, id est prædicatorem Evangelii in terra, id est apud homines, sed dispari apud dispares fructu. Primo, etenim non omnes qui audiunt Evangelium, illud acceptant illicque credunt; sicut semen, licet in terra seminatum, non tamen ubique, v. g. in via, vel juxta viam a terra calcata et dura excipitur, nec ulla in ea radices agit. Secundo, non omnes qui credunt, in fide perseverant, sed aliqui suadente tentatione recedunt; sicut semen in terra petrosa germinans, illico ad solis ardorem arescit. Tertio, non omnes qui in fide perseverant, fructum honorum operum proferunt; sicut spinæ semen in terra alias bona

belle progerminans suffocant, ne fructum producat. Quarto, hæc sunt non vitio seminis, id est doctrinae, sed terre, id est auditorum culpa, illaque varia, scilicet quedam ob petras, quedam ob spinas; petra est caro, spina est mundus, vitæ est trita sæcularis et licentioris vitæ consuetudo, ubi volucres cœli, id est demones instar avium velocissimi, diligentissimi et animarum voracissimi, semen auditum, id est doctrinam prædicatam e memoria et mente abripiunt, dum eos qui secus viam versantur, id est homines nature et naturali prudentiæ, communique consuetudini et modo vivendi intentos, vagos, item otiosos et curiosos avertunt a consideratione et penetratione doctrine audite, et ad vanitates solitas distrahunt. Quinto, semen, id est doctrinam, in terra bona, hoc est in corde bono suscipiunt, qui illud ruminare incipiunt, in eoque proficiunt; in optimo, qui totis viribus ejus executioni et virtutum perfectioni incumbunt. Sexto, illud semen fert fructum minorem, aliud majorem, aliud maximum, puta aliud trigessimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum, idque ob majorem vel seminatum, id est prædicationem et illuminationem rerum spiritualium, ac gratiæ affluxum, vel ob majus liberi arbitrii cum gratia studium, cooperationem et conatum. Hæc est summa totius parabolæ, ex qua facile est illam, omnesque ejus partes intelligere: quare singulas breviter pertractemus.

Moraliter: prædicator cum Christo, qui e domo et cœlo et sinu Patris impulsus vi amoris, exiit in terram, exeat e domo contemplationis in agrum prædicationis, ut quod in oratione a Deo hausit, magno spiritu in populum effundat, obeundis urbes et pagos, magisque prædicet sanctæ vitæ exemplo, quam verbo: « Præbete aliis exemplum, et sit ejus quasi copia dicendi, forma vivendi, » ait S. Augustinus, lib. IV *Doctr. Christian.*, cap. XXIX. Rursus invocet Deum, ut quod ipse loquitur in auro, Deus loquatur in mente. Nam, ut ait S. Gregorius, lib. XI *Mor.*, cap. v: « Plerumque fit, ut cum audientis cor, exigentibus culpæ, Dei gratia non repletur, incassum exterius a prædicatore moneatur. Quia mutum est os omne quod loquitur, si ille interius in corde non clamet, qui aspirat verba que audiuntur. »

4. ET DUM SEMINAT, QUEDAM (semina, vel se-
minis grana) CEDIDERUNT SECUS VIAM, ET VENERUNT
Luc. VIII. VOLUCRÆ CŒLI, ET COMEDERUNT EA. — « Secus
5; Mar. viam, » scilicet in oram sive limitem agri vis con-
17, 4. terminam, quæ assidue a viatoribus pedibus teritur et calcatur, ac proinde semini concipiendo non est idonea, sed illud nudum servans avibus rapiendum exponit. Est gradatio: ab ineptiore enim terra, in qua seminatur, gradatim ascendit ad minus ineptam, aptiorem et aptissimam. Ineptissima enim ad semen terra est, quæ in via, vel juxta viam omnium pedibus calcatur; mines

(1) Parabolæ, ut animadvertit du Hamel in *Annotat. in Matth.*, nomen est apud ecclesiasticos auctores adeo usitatum, ut omne verbum parabolam appellandi usus sensu viguerit; unde Italice et Gallice *parola*, *parole*, Hispanice *palabra*.

inepta est terra petrosa; aptior est terra bona, sed spinis admista; aptissima est, quae tota terrea est, pinguis et succosa. Porro, via est mens malis cogitationibus trita et arefacta, ait Rabanus; haec enim doctrina Evangelii suis consuetis cupiditatibus contrariam non capit, non sentit, non intelligit, quia tota suis carnis illecebris intendit. Unde Glossa Interlinearis: «Tales, ait, sunt qui nec predicatione compunguntur, nec bene agere incipiunt.»

5. ALIA AUTEM CEDERUNT IN PETROSA, UBI NON HABEBANT TERRAM MULTAM, ET CONTINUO EXORTA SUNT, QUIA NON HABEBANT ALTIUDINEM (Græce βλάται, id est profunditates) TERRE. — q. d. Alia ceciderunt in terram petrosam, quæ, quia in ea parum habebant terræ et multum petre, non poterunt profundas agere radices; quare illico

abillire et germinare ceperunt, ac ante tempus exorta sunt. Hinc veli præcocia mox defecerunt: «Quod enim cito fit, cito perit.» Causam subdit.

6. SOLE AUTEM ORTO, ESTUVERUNT (Græce ἐξέξησαν, id est est caumale, sive æstu solis exusta sunt, æstu perierunt, tam semina, quam germina ex eis præcociter erumpentia), ET QUIA NON HABEBANT RADICES, ARUERUNT. — Quia enim tenuem habebant terram, cui mox succedebat petra, hinc partim defectu humoris, partim vi solis ad petram rados suos reflectentis, itaque æstum augmentis et intenduntis, arefacta et exusta sunt. Porro, petra est durities protervæ mentis, ait Rabanus, in qua non est altitudo, id est profunditas terre, id est profunda lenitas animæ obediens et disciplinæ celestibus institutæ. Unde tales dulcedine tantum auditii verbi et promissionis crepulis ad horam delectantur; sed radicem desiderii salutaris non figunt, ideoque ardore solis, id est fervore persecutionis uruntur per impatientiam: quia verbum Dei firmiter non hæserat menti, ideoque exarescunt, id est virorem fidei perdunt, ait Interlinearis. Rursus S. Chrysostomus: «In animabus, ait, quæ petra est, potest fieri terra pinguis; et quæ via, non conculcari; et spina, destrui. Omnibus Christus loquebatur, etsi prævideret futura, ut posset dicere: Quid me oportuit facere, et non feci? in quo docet discipulos, ne desides sint, etiamsi plures audientium perant.»

7. ALIA AUTEM CEDERUNT IN SPINIS; ET CREVERUNT SPINE, ET SUFFOCAVERUNT EA. — «In spinas, id est in terram germinantem spinas: inter spineta. «Eteroverunt,» Græce ἐξέξησαν, id est ascenderunt, id est citius excreverunt seseque dilatarunt, quam bona semina, quæ sensim et tarde exurgunt (lolium enim facile crescit, triticum difficile, ideoque a lolio suffocatur), itaque ea jam in culmos germinantibus suffocaverunt, tum quia humorem et alimentum eis per radices suas præripuerunt; tum quia auras liberam, locumque crescendo seseque dilatandi eis ademerunt: spinas hæc Christus, vers. 22, interpretatur divitiâs.

8. ALIA VERO CEDERUNT IN TERRAM BONAM, ET UTROQUE DABANT FRUCTUM, ALIUD CENTESIMUM, ALIUD SEXAGESIMUM, ALIUD TRIGESIMUM. — Arabicus: Pro uno centum, et pro alio sexaginta, et pro alio triginta. Hæc disparitas fructus oritur ex disparitate tum terræ, tum culture. Terra enim pinguis, si bene colatur, ex uno grano profert centum grana; alia minus pinguis sexaginta, alia sterilior, triginta. Porro, terra bona est fidelis et devota conscientia, ait Interlinearis.

Nota: sola quarta pars, sive sors seminis, scilicet quæ cecidit in terram bonam, fecit fructum; relique enim tres seminis sortes, scilicet quæ ceciderunt in viam, in terram petrosam et in spinas periere, nec fructum fecere; ita ex auditione concionis pauci proficiunt, sed longe plures nullum faciunt fructum.

9. QUI HABET AURES AUDIENS, AUDIAT. — Utitur hac phrasî Christus, cum res est obscura et symbolica, aut ardua et difficilis, ut attentionem et studium auditorum excitet. «Aures audiendi,» id est ad audiendum habet, qui sedulo audit et attendit verbis Christi ea mente, ut illa capiat et ruminet, illisque obediât et opere exequatur. Multi enim audiebant Christum ex curiositate, ut audirent aliquid novi, docti, sublimis, elegantis; non autem ut illa quæ audiebant, menti imprimerent et opere perficerent. Hi non habebant aures ad audiendum. Tales clamantium veli tolli, qui audiunt conciones ob elegantiam vel doctrinam, non ut vitam mutant, de quibus Deus, *Ezechiel*, cap. XXXIII: «Es eis, ait, quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur; et audiunt verba tua, et non faciunt ea.»

10. ET ACCEDENTES DISCIPULI, DIXERUNT EI: QUARE VES. 10. IN PARABOLIS LOQUERIS EIS? — q. d. Turbæ rudes non capiunt sermones parabolicos et symbolicos, ut quid ergo eos illis ingeminas? Cur non clare eis sensa tua pandis, ut ea intelligant.

11. QUI RESPONDENS, AIT ILLIS: QUIA VOBIS DATUM EST NOSSE MYSTERIA REGNI CÆLORUM, ILLIS AUTEM NON EST DATUM. — Arabicus: Vos donati estis cognitione mysteriorum regni cœlorum, et illi donati non sunt. Causa cur Christus loquebatur turbis in parabolis, erat, quia perique ex illis vel adhuc erant incapaces doctrine celestis et Evangelicæ, vel illi non credebant, imo nonnulli irridebant; Scribæ etiam cum suis calumniabantur, Christumque habebant pro impostore falsoque Propheta: quare non habebant «aures audiendi,» quas vers. 9 exegit Christus. Ubi autem non est auditus, ne effundas sermonem, ait Sapiens. Tacite ergo stimulat eos Christus, ut aures audiendi induant, ac sermones suos parabolice dictos scrutentur, eorumque explicationem humiliter studio obsequendi ab eo efflagent, itaque se capaces Evangelicæ predicationis efficiant. Quod ubi fecerint, spondet se clare explicaturum ea quæ parabolice hic enuntiat.

Porro, indicat Christus capacitatem hanc non

posse obtineri viris et propriis, sed a Deo suppliciter postulandam; Dei enim esse donum, quod ipse discipulis Christi dederit, aliis negarit, eosque in sua cæcitate et perfidia reliquerit, q. d. Vestra, o Apostoli, est hæc gratia et felicitas, quod Deus vobis dederit fidem in me, quodque ea de causa ego ejus mysteria clare vobis enuntiam, cum cæteris loquar duntaxat in parabolis. Fides enim est donum Dei. Vos ergo de eo jugiter Deo gratias agite, ac pro cæteris Deum orate, ut eis pariter det aures audiendi, sicut dedit vobis: tunc enim parabolæ meas clare edisseram, uti edissero vobis. Unde Marcus, *iv*, 41, habet: «Illis, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt,» id est inæredulis, qui sunt extra fidem et Ecclesiam, omnia a me dicuntur et aguntur parabolice, id est obscure per symbola et enigmata, ne ea eripiantur, rideant, cavillentur. Nam, ut ait Beda: «Non solum ea quæ loquebatur Dominus, verum etiam quæ facebat, parabolice fuerunt, id est rerum mysticarum signa,» ab inæredulis Scribis et Judæis abscondita, juxta illud: «Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos,» *Matth. vii*, 8. Quocirca addit Marcus: «U videntes videant, et non videant (non intelligant), et audientes audiant, et non intelligant: nequando convertantur, et dimittant eis peccata;» q. d. Excecatis sunt et obstinati, ideoque in sua cæcitate et perfidia perseverant, nec lumen veritatis, quod offero, admittunt. Cæcitas autem hæc est pœna præcedentium peccatorum, quæ commiserunt. Hæc omnia magis patebunt ex sequentibus.

Nota: «ut, cum ait Marcus «ut videntes videant, et non videant,» significat non causam et intentionem, sed consecutionem et effectum. Non enim Christus parabolice loquens intendebat positive eos excecare, sed permittere duntaxat id quod ex parabolis Christi sequebatur, scilicet ut Scribæ et Judæi invidia et concupiscentia obæccati, videntes tot Christi miracula et audientes celestem ejus sapientiam, illi tamen non credentes, nec visa et audita intelligerent; sed similiter se haberent, perinde ac si ea non vidissent nec audissent.

12. QUI ENIM HABET, DABIT EI, ET ABUNDABIT: QUI AUTEM NON HABET, ET QUOD HABET, AUFERETUR AB EO. — Arabicus: Et qui habet aliquid, dabitur, et addetur; et qui non habet, etc. Gnome est habens speciem proverbii ait Salmeron, Franciscus Lucas, Maldonatus et Jansenius, estque verissima; difforibus enim datur, pauperibus semper auferitur. Simili enim modo Deus fideles et electos suos, quales erant Apostoli, in dies cumulât novis gratiis et beneficiis, ut in virtute et sanctitate abundant: ab infidelibus autem, ingratibus et indignis, quos negligit et despicit, quales erant Judæi, sensim sua dona tam gratiæ, quam naturæ auferit.

Sensus est primo, q. d. Qui habet fidem, dabitur ei mysteriorum regni Dei cognitio, hæc enim sine fide cognosci nequeunt; qui vero non habet fidem, ab eo auferetur bonum quod habet, q. d. Vobis, o Apostoli, quia in me quasi Messiam creditis, datum est assidue et clare a me audire mysteria Dei et cœli, quibus in ejus spem et amorem in dies magis rapiamini. At Judæi et Scribæ, qui in me quasi in Messiam sumum credere nolunt, Deus auferet sententiam, quam de Deo et cœlo habent cognitionem et sensum; imo privabit eos Ecclesia, regno, pontificatu, templo, sacrificio, patria omnique re sacra et civili, ut profari et perfidii, vagabundi et miseri toto orbe oberrent. Ita S. Hieronymus, Euthymius et Hilarius, qui sic exponit, q. d. Habens fidem, mysteria fidei percipiet. At Judæi fidem non habentes, legem quoque quam habuerant, perdidērunt.

Secundo, q. d. Qui habent aures audiendi, hoc est ad audiendum, nimirum quæ ad ea afferunt sincerum affectum, scilicet purum fidei et veritatis desiderium et studium, ut vos ex Dei dono affectis, o Apostoli, his ego clare veritatem celestem aperiam, eosque in via virtutis spiritusque, quæ ad regnum Dei perveniunt, assidue promovebo: at qui hoc purum veritatis desiderium non habent, sed suis cupiditatibus, superstitionibus et erroribus indulgent, ut factis vos, o Judæi et Scribæ, ab his parva illa, quam habet de Deo rebusque divinis, cogitatio sensim auferetur, fientque cæci omnino; ideoque vobis, o Judæi, ego Christus loquor non clare, sed obscure in parabolis, ut sequitur. «Qui enim parum boni scintillam habet, et eam non excitat accenditque per spiritum et spiritalia, necesse est eam extinguî,» ait Theophylactus; studium enim est, quod promovet studiosos uti in litteris, sic et in virtutibus: quod si studium auferas, deficit sensim scientia et virtus, etiam jam acquisita. Ita S. Chrysostomus, Beda, Remigius, D. Thomas et alii.

Tertio, S. Augustinus, *lib. I De Doct. Christ.*, cap. 1, hæc exponit per utitur, applicatque predicatorem, q. d. Predicator, qui doctrinam habet, id est doctrina sibi a Deo data utitur, strenueque eam prædicat aliisque communicat, hunc nunquam doctrina verbaque quæ dicat et prædicet, Deo suggerente, deficient: at si quis doctrina non utatur, sensim ipse ejus obliviscetur, illamque amittet. Sic enim habere pro uti sumitur, cap. xxv, 29. Ita experimur strenuos concionatores, quo plus concionantur, eo plus verbis spirituque abundare, instar fontium, e quibus quantum aquæ effluit, tantumdem aliunde rursus affluit.

13. IDEO IN PARABOLIS LOQUOR EIS, QUIA VIDENTES NON VIDENT, ET AUDIENTES NON AUDIUNT, NEQUE INTELLIGUNT. — Ecce hic clare Christus aperit causam, quam vers. 11 attuli, cur ipse Judæis et Pharisæis loqueretur in parabolis, quæ est

Facis christi hære parabolice.

Vers. 12. Inf. xxv. 29.

Vers. 12. Luc. vii. 10; Marc. iv. 12.

licet ipsi Christum antea clare de penitentia et via ad regnum eorum docentem et predicantem audire, id est intelligere, obedire et credere noluerunt, ac videntes ejus sanctitatem et miracula, ex his ipsum pro Messia agnoscere et colere detraxerunt. Merebantur ergo, ut obscure et per parabolas eis loqueretur Christus. Ipse enim docebat Capharnaï, ubi erant mercatores opulenti, suis opibus, luxui et pompe incubantes; alii erant Scribæ et Pharisei, vcl eorum assecte; hi doctrinam Christi de celo, de opum contemptu, de humilitate, paupertate, penitentia, etc., asperrabantur, imo ridebant et calumniabantur: quare Christus studio confugit ad parabolas, quas cum non intelligerent, ridere et calumniari non poterant: locutus est ergo eis in parabolis, non idcirco quod absolute essent reprobi, sed quia erant indigenti, ingrati et incapaces; nam cum simpliciter et clarissime docentem et predicantem, magis curiositatis et calumnie causa, quam credendi studio audierant, ut patet ex cap. precedenti, vers. 2, 10, 14, 24, 38, et cap. xi, vers. 23, ubi Christus vœ æternæ damnationis in civis Capharnaï detonat: « Usque in infernum, inquit, descendes: quia si in Sodomis facte fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. » Ita S. Hilarius, Chrysostomus, Euthyrius, Theophylactus et Beda. Fateor tamen inter hanc infidelium Judæorum turbam admistos fuisse plures, qui boni, vel mixti erant desiderii audiendi Christum salutis suæ causa; sed quia hi immixti erant turbæ infidelium Christo adversantium, hinc cum ea non nisi parabolas audire ipsis datum est, ut ex his, licet non intellectis, saltem admirationem et reverentiam in Christum conciperent, quæ deinde ulterius eos promoveret et instigaret; imo, ut ait S. Chrysostomus, Phariseis et Scribis omnibus, quantumvis malignis et obstinatis, Christus loquebatur in parabolis hac mente et hoc fine, ut ipsis eas scrutandi, ac Christo credendi, sequæ salvandi desiderium sincerum injiceret, iniectionemque aceret, atque ut cæcitatem temporaneam passi in parabolis, quas non capiebant, avidius verum lumen Christum requirerent et parabolarum explicationem ab eo flagitarent. Et hoc innuit Marcus, iv, 33, dicens: « Multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire, » ut scilicet, qui possent eas intelligere et capere, caperent; qui vero non possent, stimularentur ad explicationem earum vestigandam et a Christo flagitandam.

14. ET ADIMPLETUR IN EIS PROPHETIA ISAIÆ DICENTIS: AUDIUIT AUDIENS, ET NON INTELLIGETIS; ET VIDENTES VIDEBITIS, ET NON VIDEBITIS. — Id est non intelligetis id quod in Christo videtis et auditis.

15. INCRASSATUM EST ENIM COR POPULI HUIUS, ET AURIBUS GRAVITER AUDIERUNT (Arabice: et gravitate sunt aures eorum), ET OCVLOS SVOS CLAVS-

RUNT: SEQUANDO VIBRANT OCVLIS, ET AURIBUS AUDIANT, ET CORDE INTELLIGANT, ET CONVERTANTUR, ET SANENT EOS. — Citat Isaiam, vi, 9 et 10, ubi pro incrassatum Noster verit excaeca, id est excaecabis (Chaldaeus: infatus cor populi hujus). Hebr. est חִמְטִים *husmen*, id est ut pingua, incrassa cor populi hujus, et aures ejus aggravata. Unde nota excaecationem, incrassationem, obduratorem tribui tum Deo hominem excaecatum, incrassatum et obduratum deserventi, et in sua excaecatione relinquenti, ejusque occasiones ingerenti; tum homini, quia proprio ac sponte sua seipsum excaecat, incrassat, obdurat, dum suis tenebris et vitis mordicis adhaerescens, ad lumen divinum oculos claudit, et ad doctrinam Christi mentis aciem obfirmat et ocludit. Unde Septuaginta, *Isaiæ vi*, quos sequitur Noster, legentes aliis punctis חִמְטִים *huscheman*, vertunt clariore et penitente sensu: « Incrassatum est cor populi hujus, » scilicet, directe a seipso, indirecte a Deo; praesertim, quia praecedentia significant eos non tam a Deo, quam a propria sua cupiditate, superbia, malitia, odio et invidia in Christum excaecatos fuisse. Vide dicta *Isaiæ vi*, 9 et 10, ubi fuisse hæc explicati.

16. VESTRI AUTEM BEATI OCVLI, QUIA VIDENT (Arabice: quia ipsi perspicunt), ET AURES VESTRE, QUIA AUDIUNT. — « Oculi et aures » tum corporis, tum potius mentis accipe, q. d. Beati estis, o Apostoli, quia mysteria regni caelestis a me haeritis oculis et auribus, tum externis corporis, tum internis animi; oculis enim corporis videtis meos sanctos mores, gestus, mysteria, miracula; auribus auditis caelestia mea dogmata; sed, quod longe potius est, oculis et auribus mentis, Deo illum illuminante, eadem capitis, creditis et intelligitis, quod non faciunt Judæi: animus enim, æque ac corpus, suos habet oculos et aures, imo ipse totus est oculus, totus est auris, ut quelibet visa et audita percipere et intelligere valeat.

17. AMEN QUIPPE DICO VOBIS, QUIA MULTI PRÆFERT ET JUSTI CUPERUNT VIDERE QUÆ VIDETIS, ET NON VIDERUNT; ET AUDIRE QUÆ AUDIENS, ET NON AUDIERUNT. — Nam, ut ait Christus, *Joan. viii*, 36: « Abraham exultavit, ut videret diem meum: vidit et gavisus est. » Jacobi vox et votum est: « Salutare tuum expectabo, Domine, » *Gen. xlix*, 18; et *Isaiæ xlv*, 8: « Rorate, corli, desuper, et nubes pluant justum. Aperiat terra, et germinet salvatorem. » Idem fuit sensus, idem desiderium omnium Patriarcharum, omnium Prophetarum, omnium Sanctorum veteris Testamenti, scilicet, cernere et audire Messiam mundi redemptorem, doctorem et salvatorem.

Fertur S. Augustinum tria in votis habuisse: primum, videre Christum in carne conversantem; secundum, cernere Romam in splendore Imperii triumphantem; tertium, audire Paulum in cathedra fulminantem. Idem multorum fuit, et etiamnum est votum.

18. VOS ERGO AUDITE PARABOLAM (explicationem parabola) SEMINANTIS.

19. OMNIS QUI AUDIT VERBUM REGNI (caelorum, scilicet, quantum et quale illud sit, quibusque vis et mediis occupandum), ET NON INTELLIGIT, VENIT MALUS (id est: id est ille malus per excellentiam, puta diabolus), ET RAPIT QUOD SEMINATUM EST IN CORDE EIUS: HIC EST QUI SEQUITUR VIAM SEMINATUS EST. — Clarior Lucas, *viii*, 11: « Semen, inquit, est verbum Dei. Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt; deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. »

Apposito verbum Dei sive Evangelium, ejusque predicatio comparatur semini et seminatio: primo, quia sicut verbum ore predicantis, sic semen manu seminantis spargitur et seminat; secundo, sicut verbum auro et corde audientis, sic semen visceribus terre suscipitur et concipitur, ut pariat germina; tertio, sicut semen omnium frugum et fructuum, sic et verbum Dei omnium bonorum operum parens est et causa; quarto, sicut terra sine semine non nisi urticae, lolla et spinas progerminat, sic et mens hominis sine verbo Dei non nisi vana, vitiosa et noxia profert; quinto, sicut semen, ut fructificet, debet seminari et recipi in terra non dura nec saxosa, arida aut spinosa, sed molli, humida, pura et succosa; sic et verbum Dei, ut fructus spirituales proferat, debet suscipi corde molli, flexili, puro et ad virtutem pietatisque propenso. Hoc est quod ait Jacobus, i, 21: « In mansuetudine suscipite insitum verbum. » Vide ibi dicta.

Rursum Palladius, lib. II *De Re rustica*, tit. 33, ne semina a talpis, muribus, formicis, campis, locustis rodantur, remedium suggerit ut semina prius rebus austeris et amaris macerentur. « Serpentes, ait, prope omni austeritate fungantur, nocentes spiritus innocentia fumi graveolentis exagitat. Uramus galbanum, vel cervi cornua, radices lilii, capræ unguilas. Hoc genere monstrata omnia prohibentur. » Sic et Plinius, lib. XIX, cap. x, docet cicer arere crucas ab oleribus, additque: « Semen olerum in succo ejus (absinthii) madafectum seratur, olera nulli animalium obnoxia futura tradunt. » Vide eundem de seminum vitis et remedii, lib. XVIII, cap. xvii, ubi inter alia ait: « Vino ante perfusa semina minus ægrotare existimant. » Pari modo, ut semen viti et gratiæ Dei, in corde et voluptatum corrosione intactum servemus, macerandum est sobrietate, jejuniis, penitentis ceteraque vite austeritate: hæc enim a mente omnem putredinem et corruptionem deliciarum arceat.

Sexto, sicut terra debet arari, stercoreari, occari, sarri, runcari, etc., ut semen in ea germinet et fructum edat; sic et cor hominum debet subigi, purgari, excoli laboriosis actibus penitentiae, mortificationis, obedientiæ aliarumque virtutum, ut verbum Dei in eo fructum producat.

quod ait Isaias, xxxiii, 20: « Beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini. » Vide ibi dicta.

Septimo, sicut semen, ut pullulet, eget pluvia, sole et celo; sic et ut verbum Dei in mente radiceat, et germina bonorum desideriorum et operationum producat, debet irrigari gratia et calefieri charitate caelesti. Hoc est, quod ait Isaias, lxi, 11: « Sicut terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum germinat; sic Dominus Deus germinabit justitiam (per verbum Evangelii a Christo et Apostolis sparsum) et laudem coram universis gentibus. »

Octavo, sicut semen in terra susceptum, ut fructificet, debet resolvi, frangi, aperiri et mori; sic et verbum in corde hominis, ut fructificet, oportet, ut meditando resolvatur, comminuetur, conteratur et quasi moriatur, utque cor ipsum pariter comminuetur et mortificet, juxta illud Christi: « Nisi granum trumantur cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum afferit, » *Joan. xii*, 24. Rursum terra, ut ex semine fructum ferat, debet pati aratum, occasionem, pluviam, grandines, ventos, etc.; sic fidelis, ut ex verbo Dei fructum edat, debet multa adversa sustinere.

Nono, semen prius debet radices agere in terra, deinde in germina, et ramos progerminat, mox iam flores efflorescit et ex his denique fructus producit; sic et verbum Dei prius radicare debet in mente, deinde germina bonorum cogitationum et flores bonorum desideriorum proferre, ut tandem fructus bonorum operum producat.

Decimo, vis tota arboris, fructus et plantæ est in semine; ex illo enim tota arbor et planta omnesque ejus partes et membra (quæ proportionaliter similia habet membris animalis et hominis) procedunt: quocirca multi censent semen animalium esse; idque innuit Aristoteles, lib. II *De Generat. avium*, cap. i. Semen enim in terra jacit, mox quasi vivens viva producit germina. Pari modo, tota vis virtutis, perfectionis et sanitatis, quæ homo fit spiritualiter, sanctus et perfectus, continetur in verbo Dei quasi in semine: hoc enim in mente se explicans et germinans, omnes omnium virtutum actiones producit.

Undecimo, diversa semina diversos fructus producant; ut semen pyri pyrum, pruni prunum, cerasi cerasum, tritici triticum, hordei hordeum, etc.; sic diversa sententia Evangelii diversos in mente affectus pariunt; ut gnomæ humilitatis pariunt humilitatem, patientiæ patientiam, penitentiae penitentiam.

Duodecimo, sicut ad generandum prolem concubant pater et mater; sic ad fructum producendum concubant semen et terra, sed ita ut terra totam vim hunc illum fructum producantem, hauriat a semine. Simili modo ad bonum opus concurrunt verbum Dei, tum exterum, tum magis internum, ac liberum hominis arbitrium, quod

Ca.
Christus
apostolicus
sibi lo-
quitur

Analo-
gias
Dei et ho-
minis.
Prima.
Secunda.
Tertia.

Quarta.

Quinta.

Semen et
verbum
austeris
observan-
da.

Tris S.
Augustinus
et vobis.

Undecimo.

Duodecimo.

verbo Dei cooperari debet, sed ita ut totam vim producenti opus spirituale, supernaturale et divinum, quod sit Deo gratum et meritum vite eterne, hauriat a Dei verbo et gratia, ut docet Concilium Tridentinum, sess. VI, sicut a libero arbitrio haurit libertatem, sive quod sit opus liberum, non necessarium: verum enim internum, quod Deus loquitur in anima, eam excitans et corroborans ad actus penitentiae, patientiae, charitatis, religionis, etc., non est aliud quam ipsa gratia Dei intellectum illuminans et affectum sive voluntatem roborans, et accendens ad opera divina virtutum. Hoc autem verbum internum, puta, hanc gratiam, Deus solet addere verbo praedicationis externo; itaque illud quasi animare, quod aliqui sine gratia esset, quasi inanime, inefficax et invalidum ad tanta opera. Quod ergo praedicator loquitur exterius in aere; hoc Deus interius in corde loquitur oportet, ut fiat fructus.

Denique, sicut ex potentiori et efficaciori semine, atque ex meliore terra melior producit fructus, v. g. melius triticum, melius hordeum; sic pariter ex potentiori praedicatione Dei gratia, ac ferventiori cooperatione liberi arbitrii producit praestantior virtutis actus, opusque magis excellens et heroicum. Audi Plinium, lib. XVIII, cap. XXIV: « Semen optimum anniculum (unius anni), bimum deterius, trimum pessimum, ultra sterile; quod in ima arena subsedit, ad semen reservandum est, id enim optimum, quoniam gravissimum; optimum granum, quod rubet et dentibus fractum, eundem habet colorem; deterius, cui plus albi inest » Deinde serendi leges hasce prescribit. *Primo*: « stationem loci humidis celerius fieri; ratio est, ne semen imbre putrescat; sicis serius, ut pluviae sequantur, ne diu jacens atque non concipiens vaneat. » *Secundo*: « artis est aequaliter spargere. Manus utique debet congruere cum gradu, semperque cum dextro pede. » *Tertio*: « non transferendum est semen ex locis frigidis in calida, neque ex praecocibus in serotina. » *Quarto*: « pingui solo plus serio, gracili minus. » *Quinto*: « oraculum illud custodiendum, segetem non defruges, » id est, ne nimia festura fractum omnem exhaurias; nam, ut ait Columella, « constat segetem nimia defrugatione examinari. » *Sexto*, addit Plinius: « Serendum est, » cum luna est in Ariete, Geminis, Leone, Libra, Aquario. Virgilius triticum et far a vergiliario occasu aeri jubet, hordeum inter equinoctium et brumam, viciam vero, fasoelos et lentem Boote occidente. » Haec omnia mystice adaptata praedicatoribus sationi Evangelii.

ET NON INTELLIGIT. — Non advertit, non capit, non penetrat vim et sensa verbi Dei, eo quod alia occupatio, desiderium vel cura, aut ipse daemon animam ad alia cogitanda divertat et distrahat.

HIC EST, QUI SECUS VIAM SEMINATUS EST. — id est semen verbi Dei exceptit, q. d. hic, et hujus cor

significatur per illam terram terrae partem que in via vel juxta viam existens semen seminantis suscepit: unde Vatablus per hypallagen sic vertit: « Hoc (semen) est, quod juxta viam seminatum est. » Sicut enim semen in via, vel juxta viam cadens, a terra calcata et dura respicitur, ideoque in terra patulum ab avibus rapitur; sic pariter semen verbi Dei in corde consuetudine peccandi obdurato non suscipitur, sed illico a damone cor ad consueta peccata impellente, rapitur. Talis ergo reipsa, non agri, sed viae; non auditoris, sed contemptoris nomen, speciemque et formam oblinet: quare irritus prorsum et cassus est in eo, utpote tam duro et inepto, omnis seminis verbi Dei jactus.

Porro, terrae in via calcatae ad semen ineptitudo tollitur, si ipsa aratro, deinde ligone bene subigatur, fiatque mollis et tenera, ut semen concipiat: aratio enim viam exteret, et sepes transitium calcantium occludit; deinde stercoretur, sed moderate et congrue. Nam, ut ait Plinius, lib. XVIII, cap. XXIII: « Ager, si non stercoretur, alget; si nimium stercoretur, est, aduritur: satiusque est id sepe, quam supra modum facere. Quo calidius solum est, eo minus audit stercoreis, ratio est. » Simili modo, cordis vitiosa consuetudine, quasi callo, obdurati ineptitudo ad verbum Dei tollenda est compunctio, quae duritiem cordis scindat et molliat, ac ligone contentio, quae vitiosas cupiditates frangat et recte rationi legique Dei subjiciat.

20. QUI AUTEM SUPER PETROSA SEMINATUS EST. — (semen exceptit: sicut enim dicitur seminari semen, sic et terra; sed semen objective, terra passiva), HIC EST QUI VERBUM AUDIT, ET CONTINUO CUM GAUDIO ACCIPIT ILLUD. — Vatablus: « Quod autem in petrosa seminatum est, hoc significat eum qui, etc. »

21. NON HABET AUTEM IN SE RADICEM, SED EST TEMPORALIS; FACTA AUTEM TRIBULATIONE ET PERSECUTIONE PROPTER VERBUM, CONTINUO SCANDALIZATUR. — Haec est secunda terra semen recipientis conditio, priore, quae praecessit, melior. Prior enim in via plane dura semen respuebat, haec vero habens aliquid terrae mollis semen recipit et concipit, sed ad modicum tempus. Sensus est ergo, q. d. Terrae petrosae seminatae simile est cor auditoris illius, qui verbum Dei audit et cum gaudio illud mente accipit, concipit, ruminat, probat, quia delectatur illius pulchritudine, rectitudine, equitate, sanctitate et spe consequendae felicitatis, juxta illud: « Justitiae (leges et precepta) Domini rectae, latifluentiae corda, » Psal. XVIII, 9; hinc cito erumpit in herbam, id est in pium erga fidem affectum et reliqua pietatis opera. Verum hic, quia in corde parum habet terrae et plus petrae; hoc est, quia plus habet pravae consuetudinis in voluptatibus suis obduratae et lapidescentis, quam terrae propensionis ad res pias, hinc verbum Dei in eo profundam radicem agere

nequit; sed est « temporalis, » id est, non est constans in fide, sed ad modicum tempus, ut vertit Arabicus, credit; qui dum sentit verbum Dei suis cupiditatibus et vitiiis, quibus assuevit, adversari, illud instar terrae durae et petrosae elidit et rejicit. Unde Lucas ait, VIII, 14: « Illi sunt » qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt » a Dei verbo et fide, aut certe a lege, quam fides sequendam dicitur: quare facta tribulatione a privatis, vel persecutione a publicis magistratibus, quae ei vitam, opes, voluptates aut honores, quibus assuevit et amore affixus est, ob Dei verbum et fidem adimere minantur, continuo scandalizatur, id est, ut Syrus, offenditur, offensusque a fide vel fidei professione et exercitio resilit, et, ut Lucas ait, « recedit, » deficit, apostatat. Exemplum dat S. Gregorius, hom. 13 in Evang.: « Petrosa terra, inquit, humorem non habuit; quia hoc, quod germinaverat, ad fructum perseverantia non perduxit. Nulli namque eum verbum contra avaritiam audiunt, eandem avaritiam detestantur, rerum omnium contemptum laudant; sed mox, ut viderit animus quod concupiscat, obliviscitur quod laudabat. Multi cum verbum contra luxuriam audiunt, pollutiones carni, non solum perpetrare non appetunt, sed etiam perpetratas erubescunt; sed mox ut carnis species eorum oculis apparet, sic mens ad desideria rapitur, ac si adhuc ab ea nihil sit contra hanc eadem desideria deliberatum; et mandanda agi, quae, quidquid egisse se meminit, jam et ipsa damnavit. Sepe etiam contra culpas compungimur, et tamen post fletum ad eandem culpam redimus. »

22. QUI AUTEM SEMINATUS EST (semen verbi Dei exceptit) IN SPINIS, HIC EST, QUI VERBUM AUDIT (Vatablus: Semen, quod seminatum est inter spinas significat eum, qui, etc.), ET SOLICITUDO SACULI ISTIUS, ET FALLACIA DIVITIARUM SUFFOCAT VERBUM, ET SINE FRUCTU EFFICITUR. — Tertia est haec terra semen recipientis sors et conditio, secunda tanto melior, quanto minus impedimenti ad germinandum afferunt spinae, quam petrae. Terra ergo haec notat cor auditoris, quod divitiis et curis saeculi quasi spinis obsumit est; haec enim semen verbi Dei progerminans elidunt et suffocant, antequam maturus virtutum fructus producat. Nota: divitiiae apte comparantur spinis, quia instar spinarum mentem distrahunt, pungunt, cruciant, ut de rebus divinis diviti saepe cogitare non libeat. Audi Rabanum: « Recte spinis vocantur, quia cogitationum sturum punctioibus mentem laerant, et quasi strangulando, spirituales virtutum fructus gignere non permittunt. »

Audi et S. Hieronymum: « Mihi videtur et illud, quod juxta litteram ad Adam dicitur: Tuum manducabis, hic tribulus panem tuum manducabis, hic significare mystice, quod quicumque saeculi se dederit voluptatibus curisque istius mundi, panem celestem et cibum verum inter spinas comedit. »

Et S. Gregorius, homil. 15 in Evang.: « Quis nihil unquam crederet, si spinas divitias interpretari voluissem, maximo, cum illae pungant, istae delectent? Et tamen spinae sunt, quia cogitationum sturum punctioibus mentem laerant, et cum usque ad peccatum pertrahant, quasi inflicto vulnere cruciant. »

SOLICITUDO SACULI, — id est rerum secularium et temporalium, v. g. cura uxoris, prolium, familiae, status, officii, dignitatis, quae habet, vel quae sibi aut suis ambit; haec quasi spina aculeis suis mentem laerant, id est distrahit, turbat, mordet, vulnerat, exedit, juxta illud:

Res est solliciti plena timoris amor;

cum ex diverso sollicitudo salutis et rerum divinarum mentem colligat, serenat, sanet, vegetet. Audi S. Gregorius, hom. 13: « Suffocant; quia importunis cogitationibus guttur mentis strangulant; et dum bonum desiderium intrare ad cor non sinunt, quasi aditum flatus vitalis necant. Notandum etiam quod duo sunt, quae divitiis jungit, sollicitudines videlicet et voluptates, quia profecto et per curam mentem opprimunt et per influentiam resolvunt. »

FALLACIA, — id est seductio divitiarum; sunt ipsae fallaces divitiae, quae mentem a Deo et salute seducunt ad vanas et noxias opes, quae multorum peccatorum et sepe damnationis sunt causa, per fas et nefas concuprendas; fallaces ergo sunt, quia quod promittunt non praestant, voluptatem scilicet et juvenilitatem, ait Interlinearis, imo pro ea aeternas gehemae penas saepe homini accersunt. Audi S. Hieronymum: « Blandae sunt divitiae, aliud agentes, aliud pollicentes. Lubrica est illarum possessio, dum huc illicque circumferuntur, et instabili gradu vel habentes deserunt, vel non habentes referunt. Unde et Dominus divites asserit difficilem intrare in regnum caelorum, suffocantibus divitiis verbum Dei et rigorem virtutum emollientibus. »

Et S. Gregorius, homil. 13 in Evang.: « Fallaces sunt, inquit, quae nobiscum diu permanere non possunt; fallaces sunt, quae mentis nostrae inopiam non expellunt. Sole autem divitiae verae sunt, quae nos divites virtutibus faciunt. Si ergo, fratres charissimi, divites esse cupitis, ad regnum caeleste tendite. Si gloriam dignitatis diligitis, in illa superna Angelorum gloria describitur filitiae. »

23. QUI VERO IN TERRAM BONAM SEMINATUS EST (semen verbi Dei exceptit), HIC EST, QUI AUDIT VERBUM ET INTELLIGIT, ET FRUCTUM AFFERT; ET FACIT ALIUD QUIDEM CENTESIMUM, ALIUD AUTEM SEXAGESIMUM, ALIUD VERO TRIGESIMUM. — « Terra bona, ait ex Remigio S. Thomas, in Catera, est fidelis conscientia electorum, sive mens sanctorum: qui verbum Dei cum gaudio et desiderio et cordis devotione suscipit, et inter prospera et adversa viriliter conservat, et ad futura perducit, unde sequitur: Et facit fructum aliud centesimum, »

Sunt fallaces, Cur?

Ver. 21. Luc. VII. 15; Marc. IV. 20.

Operantur spinas, Cur?

39. QUID MINIMUM QUIDEM EST OMNIBUS SEMINIBUS : CUM AUTEM CREVERIT, MAJUS EST OMNIBUS OLIVERIBUS, ET FIT ARBOR, ITA UT VOLUCRES COELI VENIANT, ET HABITENT IN RAMIS EJUS. — Arabicus : *alco ut volucres coeli obumbrentur sub ramis ejus.* Hæc est tertia Christi parabola grani sinapis, cujus occasionem et causam assignat S. Chrysostomus : « Quia Dominus dixerat, inquit, quod de semine tres partes percant et salvata una, et in ipsa rursus, quæ salvatur, multa efficitur jactura propter zizaniam quæ superseminantur; ne dicent : Qui ergo erunt et quanti fideles? consequenter hunc timorem auferit per parabolam grani sinapis, et ideo dicitur : Aliam parabolam proposuit eis, dicens : Simile est regnum celorum grano sinapis, quod accipiens homo, » etc.

Quæres 1^o : Quodnam hic vocatur regnum celorum, quod simile est grano sinapis? *Primo*, S. Hilarius hic, Canon. 13, accipit ipsum Christum : « Grano sinapis, ait, se Dominus comparavit acri maxime et omnium seminum minimo, cujus virtus ac potestas tribulationibus et pressuris accenditur. Granum hoc igitur postquam in agro satum fuerat, id est ubi a populo comprehensus et traditus mortui, tanquam in agro satione quadam fuit corporis conspultus, ultra mensuram omnium olorum excrescit, et universam Prophetarum gloriam excedit. Oleris enim vice, tanquam egroti Israeli data est prædicatio Prophetarum; sed jam in ramis arboris ex solo in sublime prolata, celi volucres inhabitant : Apostolos scilicet, et Christi virtute protensos, et mundum innumbrantes in ramis intelligimus, in quos Gentes in spem vite advolabant, et aurum turbine, id est diaboli spiritu flatuque vexata, tanquam in ramis arboris requiescent. » Sic et S. Gregorius, lib. XIX *Moral.*, cap. XI, quem audi totam hanc parabolam per singulas partes de Christo explicantem : « Ipse quippe est granum sinapis, qui in horti sepultura plantatus, arbor magna surrexit. Granum namque fuit, cum moretur; arbor, cum resurgeret. Granum per humilitatem carnis; arbor per potentiam majestatis. Granum, quia vidimus eum, et non erat aspectus; arbor autem, quia speciosus forma præ filiis hominum. Hujus arboris rami, sancti predicatores sunt. Et videamus quam late tendantur. Quid enim de eis dicitur? In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terre verba eorum. In istis ramis volucres requiescent, quia sanctæ animæ, quæ quibusdam virtutum pennis a terrena cogitatione se ablevant, in eorum dictis atque consolationibus ab hujus vite fatigatione respirant. » Similia habet S. Augustinus, serm. 33 *De Sanctis*.

Dices, quomodo Christus vocari potest regnum celorum, cum ipse non sit regnum, sed rex celorum? Respondetur : Sicut rex est quasi caput in regno, sic regnum vicissim ut corpus est in rege, ut suo capite. Quare rex representat totam rempublicam et regnum. Hinc juxta regulam Ti-

conii, sepe in Scriptura quæ sunt Ecclesie (quæ est regnum Christi), tribuuntur Christo, et vice versa. Respondetur secundo : Sensus plantis est, q. d. Similiter agitur in regno celorum, atque si quis in eo velut in agro Dei seminat granum sinapis, id est Christum, qui altissime excrescat et quaquaversum se propaget. Similem phrasim audivimus vers. 24.

Secundo, planius et aptius, regnum celorum et granum sinapis est Ecclesia, præsertim primitiva, ita S. Chrysostomus; aut fides, ut vult S. Augustinus; aut potius Evangelium et doctrina Evangelica (quanquam hæc omnia eodem fere redeant), ut voluit S. Hieronymus, S. Ambrosius, Beda et alii : hanc enim primo comparavit semini, vers. 3 et 24; secundo, grano sinapis, hoc vers.; tertio, fermento, vers. 33; quarto, thesauro abscondito in agro, vers. 44; quinto, margarite pretiosæ, vers. 46; sexto, sagæna misse in mare, vers. 47. Hæc dicitur regnum celorum, quia per illam Deus regnat in nobis et nos ad suum regnum in coelis perducit.

Quæres 2^o : Cur Evangelium comparetur grano sinapis, et quæ utrisque sint analogiæ? Respond. *Prima* est, quod Christus per hanc parabolam intendat significare ingentem vim, fructum et propaginem Evangelicæ predicationis, utpote quæ a tenui initio cum Christo cepit, et per paucos Apostolos in totum orbem se dilatavit. Granum enim sinapis est « minimum omnibus seminibus, » id est omnium seminum, ut habet Syrus et Arabicus. Græcè, *μικρότερον πάντων σπέρμάτων*, id est *minus omnibus seminibus* : *minus*, id est minimum : intellige hoc juxta morem loquendi vulgarem hominum, quo minimum vocamus id quod valde parvum est et unum e minimis; nam alioqui præcisè semen papaveris, rutæ, salvie, basilici et aliarum herbarum, minus est grano sinapis; sic Evangelicæ predicationis primo silet in Christo et paucis Apostolis, fuitque minima.

Secundo, granum sinapis præsertim in Syria crescit in arbore, ita ut in ramis ejus « habitent, » Syrus *midifient*, « volucres celi; » sic Evangelium crevit et totum orbem occupavit, ita ut in ramis ejus habitent volucres celi, id est homines scientia et sensu sublimes; item reges et principes, ut patet *Daniel.* iv, 9 et 19; nonnulli Angelos accipiunt, hi enim sunt alati et celerissimi. Ad S. Augustinum, serm. 33 *De Sanctis* : « Ramus est Petrus, ramus est Paulus, ramus est beatus Laurentius, cujus hodie natalitia celebramus. Rami sunt omnes Apostoli vel Martyres salvatoris, ad quos si quis se fortiter tenere voluerit, fluctibus sæculi minime mergitur, quia potius sub umbra illorum latitans, gehennæ non patietur ardorem, securusque de diaboliæ tempestatis procella erit et de die judicii exurentis incendio. »

Tertio, et maxime, in sinapi notatur ignea vis et efficacia Evangelii : « Pythagoras enim, ait

Plinius, lib. XX, cap. XXII, sinapi principatum habere ex his, quorum in sublime vis feratur, judicavit; quoniam non aliud magis in nares et cerebrum penetret. » Granum sinapis ad fervorem fidei pertinet, ait S. Augustinus; « Phariseorum enim dogmata, ait S. Hieronymus, cum creverint, nihil mordax, nihil vitale demonstrant, totum fiaccidum marcidumque ebullit in olera et in herbas, quæ cito arescunt et corrumpunt. Prædicatio autem Evangelicæ, quæ parva videbatur in principio, cum vel in animam vel in totum mundum sata fuerit, non exurgit in olera, sed crescit in arborem. »

Quarto, sinapi conteritur debet; contritum enim igneam vim et halitum expirat : sic mille pressuris et persecutionibus contrita fuit in Apostolis Evangelicæ predicatione, tuncque igneam suam vim et fortitudinem exhavit.

Quinto, sinapi, teste Plinio, lib. XX, cap. XXII, acre et mordax lacrymas ciet; purgat pituitam et cerebri superfluitates, excretiones faciles facit, ad dentium dolorem manditur, tritum cum aceto ad ictus scorpionum et serpentum illinitur, fungorum venena discutit, stomacho utilissimum contra animæ vitia, ac pectori pulmonibusque valet contra epilepsiam, hydropem, asthma, lethargum, alopecia, peoras, calculos pluresque alios morbos : sic Evangelium venena, id est peccata expellit vomitu confessionis; acre est et mordax, quia penitentiam docet et crucem, lacrymas compunctionis ciet, omnibus animæ potentis medetur et opitulatur, ac præsertim concupiscentias desecat, vitia expellit, virtutes acuit : « Amaritudo enim sermonum medicina est animarum, » ait S. Augustinus, serm. 33 *De Sanctis*.

Sexto, sinapi sua acedine cibos condit sapidosque efficit; sic et Evangelium omne quod durum et arduum est, sapidum efficit exemplo Christi et spe future gloriæ, quam promittit. Hæc fere omnia docet S. Augustinus, serm. 31 et 33 *De Sanctis*, qui sunt de S. Laurentio 2 et 4 : iidem sermones extant apud S. Ambrosium, tom. V, serm. 19 et 20 *in Dominica VI post Epiphaniam*, sed stylus magis redolet phrasim S. Augustini. Ibi ergo sic ait : « Granum sinapis magnum est, non specie, sed virtute. Prima fronte speciei suæ parvum est, vile, despectum, non saporem præstans, non odorem circumferens, non indicans suavitatem; at ubi teri coeperit, statim odorem suum fundit, acrimoniam exhibet, cibum flammæ saporis exhalat, et tanto caloris fervore succenditur, ut mirum sit in tam frivolis tantum ignem fuisse conclusum, cum etiam semen in cibum homines, hiemis præcipue tempore, magna pro suavitate percipiunt, quatenus repellant frigora, humores egerant, viscerum interna calefaciant. Sepe etiam ex hoc capiti adhibent medicinam, ut si quid invalidum, si quid egrotum fuerit, sinapis igne curetur. » Unde has sinapis dotes applicans Evangelio

et fidei Christianæ, subjungit : « Ita ergo et fides Christiana prima fronte videtur esse parva, vilis et tenuis, non potentiam suam ostendens, non superbiam præferens, non gratiam subministrans. At ubi diversis tentationibus teri coeperit, statim vigorem suum prodit, acrimoniam indicat, calorem dominicæ credulitatis aspirat, et tanto divini ignis ardore jactatur, ut et ipsa fervet et participantes sibi ardere compellat : sicut in sancto Evangelio duo ex discipulis dixerunt, dum cum ipsis post passionem suam Dominus loqueretur : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis in via, dum aperiret nobis Scripturas Dominus Jesus? Ergo granum sinapis membrorum viscera calefacit, fidei autem vigor cordium peccata comburit; et illud quidem asperum algorem frigoris removet, hæc autem delictorum diaboli cum frigus expellit. Sinapis, inquam, granum humores decoquit corporum, fides autem libidinum fluentia consumit. Et per illud medicina capitis procuratur; per fidem autem spiritale caput nostrum, quod est Christum Dominum, sepius refovetur, sed et fidei, juxta comparationem sinapis, sancto odore perficitur, sicut ait Apostolus, beatus Quoniam Christi bonus odor sumus Deo. »

Tropologie : hæc omnia ad apte animæ fideli, ac præsertim apostolo, vel patienti ac martyri verbum Dei velut granum sinapis audienti, ruminant, prædicanti et in cor tam suum, quam aliorum transmittenti. Unde S. Laurentio, cui hoc Evangelium adaptat Ecclesia in ejus festo, ita hæc attribuit S. Augustinus loco jam citato : « Igitur sanctum martyrem Laurentium grano sinapis possumus comparare, qui diversis atritus passionibus, per totum orbem gratia meruit fragrare martyrii. Qui ante constitutus in corpore erat humilis, ignotus et vilis, posteaquam vexatus, laceratus, exustus est, universis per totum mundum Ecclesie odorem suæ nobilitatis infudit. Recte igitur huic comparatio copulatur : si quidem granum sinapis, cum teritur, accenditur; Laurentius, cum patitur, inflammatur. Illud fervor attritionis suæ movet, hio ignem plurima vexatione suspirat. Sinapi, inquam, in vasculo calido decoquitur; Laurentius in craticula flammarum igne torretur. Ardebat itaque extrinsecus beatus Laurentius martyr tyranni severitatis incendio, sed major illum intrinsecus Christi amoris flamma torrebat. » Arabum est proverbium : « Granum piperis prævalet multis magnisque cueurbitis, » quia si conteratur, vim igneam exerit omniumque naribus ingerit. (dem dicas de grano sinapis. Fidelis ergo sit granum piperis vel sinapis, ut ubique spirat ignem divinum eumque omnibus aspiret, itaque omnes piperet, siquæ similes, efficaces scilicet et ardentes in Dei amore efficit.

33. ALIAM PARABOLAM LOCUTUS EST EIS : SIMILE EST REGNUM CELORUM FERMENTO, QUOD ACCEPTUM MULLER ABSCONDIT IN FARINE SATIS TRIBUS, DONE

Regnum celorum quod? Resp. Farina.

Secundo Granum sinapis est Ecclesia.

Analogia granum sinapis et Evangelii. li. Prima.

Sinapi fuit S. Laurentius.